



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

De intellectus profundi, curiosi & superbi nocumentis; quiq[ue] idem
simplificandus sit: quo item omne humanum studium, lectio librorum, &
scientia referenda sint. Can. XIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

complacencia medullitus amplectens, ac hominibus propter Deum in omnibus licitis obedias, tutissimè confidens eius bonitati, quæ omnibus qui se corde & corpore tradunt & credunt, eidem vbique adest & prouidet in prosperis & aduersis, etiam minimis sua ineffabili prouidentia, melius quam ipsi vel optare possent. Quæcunque igitur tibi eueniunt, non ab homine aut creatura aliqua, sed immediatè à Deo, tanquam de manu prouidentia eius accipias: & hoc æquo imperturbatoq; animo, ac supra vicissitudines rerum humanarum eleuato, atque per amorem in Deum fixo, nihilo magis optans prospera quam aduersa, donec omnis proprietatis & iudicij tui in te funditus moriatur.

De intellectu profundi, curiosi & superbi nocuentis: qui que idem simplificandus sit: quo item omne humanum studium, lectio librorum & scientia referenda sint.

CANON XIX.

Septimum præpediens hominem à spiritali profectu, est studium immoderatum quo intellectus occupatur circa nudas speculationes, & ubi neque deuotio, neque inflammatio affectus queritur, sed lectio aut propter seipsum, quia oblectat, aut propter scientiam tantum frequentatur. Qui eiusmodi sunt efficiuntur vani, inflati sensu suo, præsumptuosi & steriles affectu, qui de spiritu quidem loqui sciunt, sed nihil gustare meruerunt.

Studium & lectio librorum quo referenda fiat.
1. Cor 2
In passione Christi quenam cõtemplanda.

Tu autem non idèd legas, vt doctus habearis, sed deuotus efficiaris. Semper arbitrare te nihil scire, nec aliud optes scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Si Christum bene scis, satis est, si cætera nescis. In huius vita & passione continèd te exerce, contemplando quæ patitur, vt condoleas: quomodo patitur (id est mores & virtutes) vt imitari studeas: & quare patitur, vt charitati eius ipsum redamando, respondeas. Crescat in te iugè desiderium, vt possis pro modulo aliquo domino tuo conformari, sustinendo longanimiter & patienter quæcunque aduersa tibi imponere dignabitur, iuxta omne beneplacitum suum.

Mentis humanae impuritas, instabilitas neglectusque quam sit cuique nociuus: quomodoq; eadem reformanda & in Deum eleuanda sit.

CANON XX.

Octauum quod omnes impedit quo minus in spiritu proficiant, est neglectus interioris hominis, instabilitas cordis, nimiaq; libertas mente euagandi. Inde fit, vt cor depictum varijs idolis, diuinas inspirationes non aduertat, nec se ad Deum leuare illiq; adhærere quæat. Tu verò euagandi occasionibus omnibus sepositis, imaginationes, formas, similitudinesq; rerum ac rememorationes dictorum & factorum omnes, quantum possibile est, excludas: & collectis animi viribus intra te ipsum in silentio & quiete spiritus habites, vt mundo purificatoq; intellectu ab imaginibus, & libero ab omni creaturæ affectu, eleuata quoque ad Deum